



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

19. Stulti & cæci. Quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

triatores, quosdam persecutores & proditores innocens esse deprehendes. Quomodo etiam illorum quidam se gerant, & qua ratione uxores suas consecuti sint, quales etiam uxores habeant, id ego Domino atque ipsis etiam committo. Vitam quietam, otiosam, desidem, & iucundam ducunt. Seductionibus & adulatoribus sese alunt de rapinis Antichristi, & tantum concionantur quantum terrenus & carnalis magistratus ferre atque audire vult. Hæc ille & alia adhuc infinita de vtriusque huius secte hominibus. Non sunt hæc è triuijs arrepta cõuitia, sed ex ipsis nouis huius Euangelij magistris (Euangelium quippe hoc nouum quælibet sibi secta venditat) literis ac monumentis consignata testimonia. Plura hæc de re alibi dicendi locus dabitur, vbi similitè hanc scabiem tangendi occasionem Calvinus dabit.

19. *Stulti & cæci. Quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum?*

**H**ANC Pharisaicam superstitionem & impietatem, qua ex auaritia & rapacitatis studio res oblatas, quarum participes fiebant, ipsi templo & altari præponebant, tanquam superstitionum in populo causam, quæ ab ipso Deo eiusq; cultu homines auocarēt, à Christo hoc loco reprehendi; & in hac reprehensione Christi intentū præcipue consistere; atq; in eisdem superstitiones Catholicam hodie Ecclesiam fœdè prolapsam esse; declamitat hoc loco Calvinus. Sed tam in ipso præsentis disputationis scopo aberrat, quàm impiè Christi sponsam exagitat. Hoc delirium (ait Calvinus) quòd plus reuerentiæ auro templi & sacris oblationibus quàm templo & altari Iudei deferrent, à Scribis & Sacerdotibus profectum fuisse creditibile est. Fuit autem nõ minus perniciosus quàm stultus error, cò quòd



eò quòd populum ad crassa figmenta abduceret. Nihil proclivius est quàm homines à puro Dei cultu delabi. Huius ergo veli obtentu, Satanae promptum fuit procul à Dei intuitu abstrahere, qui iam plus equo ad stultas imaginationes tendebant. Hæc ratio est cur eum errorem tam duriter Christus castiget. Hæc ille. Sed toto cælo à vero Christi intento aberrat. Christus enim hoc loco non turbavit populum, sed Scribas & Phariseos (Sacerdotes vocat Calvinus, à quo verbo Christus abstinuit propter honorem sacerdotij, tamen si Scriba isti & Pharisei plerique sacerdotes essent) reprehendit, nec superstitionem in populo, sed cæcitatem & ignorantiam Scribarum in doctrina manifestè arguit. *Stulti* (inquit) *& cæci Scribae & Pharisei*. Illorum cæcitas & stultitia erat, plus reuerentiæ tribuere auro & oblationibus quàm templo & altari, quatenus videlicet iuramenta per aurum & oblationes facta iurantes obligare, per templum & altare facta non obligare docebant.

Populi  
supersti-  
tionem  
sine causa  
exagitat  
Calvinus.

Phariseo-  
rum pro-  
prius error  
his verbis  
taxatus.

Hanc ineptam & præposteram eorum doctrinam ex avaritia fortasse natam, sed in altero eorum errore præcipuè fundatam, quòd per creaturas iurare licitum esse existimabāt, in hoc quarto *Va* propriè & ad literam Christus reprehendit. Hanc enim ob causam docet Christus per Deum eos iurare, qui per templum aut per cælum iurant. Nullam hinc superstitionem aut populi aut Scribarum Christus perstringit, sed in proximo sequenti *Va* illud crimen arguit. Ita Calvinus torquet hunc locum, & obtorto collo trahit ad sui cerebri idolum, quod passim ille sacris in Scriptis magna cū reuerentia & pompa quasi in theatro venerandum proponit: nempe ex superstitionis cultibus nasci Dei contemptum. Dei quidè cultum superstitionis cædè contaminat & eneruat; sed à  
Dei



Dei intuitu non magis abstrahit, quã avaritia ab affectu pecuniæ. Verũ istud huius loci nõ est, nec de hoc vitio in hac sententia Christus disputat.

Superficio non parit Dei contemptum.

Nunc vt Ecclesiam Catholicã hoc loco taxat Calvinus, eius odio suos lectores perpetuò imbuens, videndum est. Primũ in genere garrit. Sic (inquit) videmus in Papatu innumeris artibus auctas fuisse superstitiones, quum sacrifici prædæ inhiarent: qui adhuc quotidie multa excogitant, quibus stultum vulgus magis dementent. Hæc accusatio generalis absque vlla facti specie iniecta, non nisi ex dolo malo proficiscitur. Dolosus quippe (vt dici solet) versatur in generalibus, & nihil est facilius quam muliercularũ more generaliter in quẽuis obuium aut transeuntem debacchari, aut canũ more molestissimè allatrare. Tandẽ quibusdã interiectis, vt aliquid accusatione dignum dixisse videatur, ait. Et tamen Papiſtas non puduit sacrum Dei nomen ad turpius ludibrium prostituere. Nam apud illos plaris est frustum putridi cadaueris tangere, quã sanctum vtriusque testamenti volumen, vel etiam leuare in calum manus. Patet facta nunc & in certam facti speciem adducta accusatione, quis eius pudendam turpitudinem non videt? Primum Sanctorum corporum reliquias putridi cadaueris frustum vocat. Cui plusquam Vigilatio & procacius insanienti respondebit S. Hieronymus contra Vigilantiũ scribens. Dixerat in Ecclesia sua Vigilantius. Prope ritum gentiliũ videmus sub pretextu religionis introductum in Ecclesijs, quũ puluisculũ nescio quod in modico vasculo pretioso lintamine circumdatum osculantes adorant. Cui respondet in hũc modũ Sanctus Hieron. Quid est illud, nescio quid, scire desidero. Expone manifestius, vt tota libertate blasphemes (Hoc iã fecit Calvinus, nõ puluisculũ nescio quod, sed putridi cadaueris frustũ dicens) Doles martyrũ reliquias pretioso

Superfitionum falso arguitur Ecclesia.



Reliquiarum veneratio antiquissima.

pretioso velamine operiri, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinum. Ergo sacrilegi sumus quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas daemones rugiunt, etc. Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudaea transtulit in Thraciam? Omnes etiam Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutas (aut, ut Calvinus loquitur, putridi cadaveris frustum) in serico & vase aureo portauerunt? Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta letitia, quasi presentem viventemque Prophetam cernerent, susceperunt? ut de Palaestina usque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem una voce resonabant? Haec Hieronymus. Hanc ergo à mille ducentis annis Ecclesiam Christi antiquissimam accuset Calvinus, non Papistas praesentes, si reliquias corporum sanctorum venerantur. Sed quod Calvinus ut putridi cadaveris frustum tanta cum nausea fastidit, quomodo alij etiam non minus antiqui & celebres Patrum singulari in honore habendum censuerint, iam olim ostendimus ex Augustino, Basilio, Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, alijsque Patribus in Prompt. Catholico.

Dom. 23. post Pentec.

Sed (inquit Calvinus) plura hoc faciunt Papista quam sanctum utriusque testamenti volumen, vel etiam levare in caelum manus. Quid ergo? vult Calvinus libros ipsos Sacrae Scripturae eadem veneratione à nobis coli, qua Sanctorum coluntur reliquiae, & non iam cadaveris humani frustra, sed vel pecorum mortuorum pelles, vel putridos panniculos in Ecclesijs reuerenter proponi, & à nobis in honore haberi? Dolet quippe plura à nobis Sanctorum reliquias fieri quam volumen Biblicum.

Eodem



Eodem igitur & pari honore affici desiderat. Cæterum vnde factum est vt ad Sanctorum reliquias Dæmones rugierint, torti & eiectiones fuerint, multaque fidelibus beneficia impertita, ad Bibliorum contactum vel præsentiam nihil huiusmodi contigerit? An non manifestè docuit Dei Spiritus in Sanctorum reliquijs, ipsos Sanctos, & in Sanctis Deum rite ac debitè coli: in libro verò Biblico seu chartaceo seu in membranis pretiosissimis descripto, Deū coli nolle, sed in Scripturis illis sanctis, quatenus ore magistrorum exponuntur, vel cū pia ac sancta meditatione leguntur, sanctam suam voluntatem nobis patefacere voluisse: ad doctrinam quidem & executionem eorum quæ in illis libris docentur, non ad ipsorum librorum venerationem aliquam? Nullam igitur iniuriam sacris voluminibus facimus, quòd folia & chartas non veneramus. Pluris autem nos Sanctorum reliquias facere quàm in cælum leuare manus, id est, quàm puras & pias ad Deum orationes fundere, proterua Caluini calumnia est. Quum enim ipsas illas reliquias sic veneramus, vt earum inspectio & contactus ad inuocandum Deū per Sanctos suos, id est, ad leuandas manus nostras in cælum directè nos moueant & excitèt, insanus est qui mediū fini nos anteponeere garrit. Catholici semper ita Sanctorum reliquias venerari didicerunt, vt puras ad Deū orationes facere pietatis studium multo excellentius esse semper intelligerent.

23. *Decimatis mentham, & anythum, & cuminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.*

**H**ANC quoque criminationem Phariseis à Christo iustissimè intentatā, Ecclesiæ Catho-  
T cho-